



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

12. Orationes pro Confessarijs, & Pœnitentibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

Pren. 24.

humiliemus, & submissè de nobis sentiamus, alijsq; de causis. De his intelliguntur illa verba Scripturæ: *Septies in die cadit iustus & resurgit.*

10. Bonum est, vt qui sæpius per mensem cōfiteatur, citò se expediat; tum ne fiat scrupulosus, tum vt detur Confessario tempus illum instruendi, tum alijs confiteri volentibus locus fiat. Quod si pridie confessus fuerit, non debet rursus confiteri postmodum, nisi necessitas vrgeat: quod si confiteatur, vno verbo, si posset fieri, exponet quid conscientiam grauet, locus vt detur alijs, qui vel reconciliare se, vel communicare cupiunt.

PARS XII.

Orationes aliquot & pœnitentibus
& Confessarijs vtilis.

*Oratio preparatoria ad audiendas
Confessiones.*

Cum mundum crea in me Deus, &c.

Ne proijcias me à facie, &c.

Redde mihi lætitiā salutaris, &c.

Docebo iniquos vias tuas, &c.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salus mea.

ORB.

OREMVS.

DOMINE Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, vt dignè possim tibi gratias agere, qui me indignum, propter tuam magnam misericordiam, ministrum fecisti officij Sacerdotalis, & Mediatorem constituisti ad reconciliandos peccatores ad pœnitentiam reuertentes. Ideoq; dominator Domine, qui omnes homines vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; qui non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat; suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam veniunt, vt des illis spiritum compunctionis, vt resipiscant à diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur, & ad te per dignam satisfactionem reuertantur, per Christam Dominum nostrum, Amen.

Oratio pœnitentiæ ante Confessionem.

Per SS. omnium Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, martyrum, Confessorum, atque virginum, ipsiusq; Sanctissimæ sanctorum omnium Principis, & Reginae, filij tui vnigeniti parentis optimæ merita, orationes, intercessiones, passionis, & suffragia, infunde cordi meo, Clementissime Deus,

Deus.

Deus, per gratiam Spiritus sancti, compunctionem, fontemque lachrymarum, ut possim reatum conscientiae meae perfecte cognoscere, & delicta facinorum meorum plenarie confiteri, & deuote commissa accusare, & de commissis omnibus dignam poenitentiam agere, & de his, tua praestante misericordia, Christiue Iesu, filij tui dilectissimi passione, & morte, perfectam consequi remissionem, & veniam. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PARS XIII.

Per breues Aspiraciones, & conceptus animi per modum meditationis cuiusdam, ad impetrandam Dei misericordiam, veniamque peccatorum exoranda, usurpanda, ex dictis B. Augustini.

Miserere mei Domine, miserere mei, & adiuua me sicut tu nosti quod mihi necesse est in corpore & anima. Scis omnia, potes omnia, qui viuis in secula.

Respice me, Domine, opus manuum tuarum in te sperantem, & in tua solummodo misericordia confidentem: recordare creaturæ

curæ